

personaliter residere, sed per substitutum possit satisfacere suæ obligationi nisi ex fundatione, statuto, aut consuetudine particularis ecclesiæ, ad residentiam personalem astringatur, patet ex dictis supra n. 9.

161. *Imo et data tali fundatione, potest per longævam consuetudinem obligatio residendi tolli.* — Atque istud ampliatur, etiamsi in fundatione fuerit imposita obligatio personaliter residendi. Adhuc enim per longævam, et legitime præscriptam consuetudinem, hujusmodi obligatio tolli potest, arg. c. *Cum omnes*. juncta Glossa fin. *de Constitution.* ac notat Abbas ibid. n. 10. istud intelligens, dummodo non fiat præjudicium magnum Ecclesiæ. Felinus cit. cap. *Cum omnes*. n. 32. vers. in gloss. fin.; Navarrus consil. 6. *de Clericis non resident.* n. 1. et seqq.; Joan. de Selva cit. tract. *de Beneficio*, part. IV. quæst. 2. n. 1. et seqq.; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 5, n. 107. citans alios; atque asserens, ita fuisse declaratum per sacram congregationem concilii.

162. *Loquendo de dignitatibus non curatis, et canonicatibus, valebat antiquitus consuetudo percipiendi fructus in absentia.* — Aut est sermo de dignitatibus non curatis, et canonicatibus ecclesiarum cathedralium vel collegiarum: et tunc antiquitus valebat consuetudo, quod quis in absentia potuerit percipere beneficium, ubi talis consuetudo vigeat, arg. cap. *Cum omnes*. juncta Glossa fin. *de Constitut.* Dummodo Ecclesia non indignisset servitoribus, sive ministris, eo quod multi fuissent beneficiati in Ecclesia, qui tenebantur residere, et non nisi pauci eorum sese absentare solebant; sicque consuetudo illa non intulisset gravamen Ecclesiis. Alias secus: ut cap. 1. *de Consuetud.* et cap. ult. *de Rescript.* in 6. ac notat Abbas cit. cap. *Extirpandæ*. in Repetit. § *Qui vero*. n. 31. *de Præbend.* et Fagnanus cap. *Cum omnes*. n. 18. *de Constitut.* post Innocentium, Hostiensem, Joann. Andream, et alios ibid.

163. *Hæc tamen consuetudo novissime per concilium Tridentinum sublata fuit. Quamvis hoc ipsum non ubique fuerit usu receptum.* — Ad dicitur notanter, « et tunc antiquitus, » etc. Nam hujusmodi consuetudo percipiendi fructus in absentia in ecclesiis, cathedralibus, et collegiatis, novissime per concilium Trident. sess. 24. cap. XII. vers. *Præterea*. *de Reform.* sublata fuit, atque cassata, sequentibus verbis: « Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicas,

præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, » etc. Atque, ut notat Fagnanus c. *Cum omnes*. n. 21 et 22 *de Constitut.* et Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 197. ex sententia sacræ congregationis, per allegatum decretum concilii sublata fuit consuetudo etiam immemorialis, secundum quam ex quavis causa, et ultra tres menses, quolibet anno ab eisdem ecclesiis abesse licuerat; prout amplius patet ex declarationibus dictæ sacræ congregationis, quas verbalim adducit Garcias cit. n. 197. Verum tamen, quod præfata constitutio concilii Tridentini in multis locis, ac (præsertim Germaniæ) ecclesiis, non fuerit usu recepta, inter alios observat Pirhing h. t. n. 6 et 15, Sannig, eod. cap. III. n. 9. (ADNOTATIO XLVI.)

## § VI

DE DISTRIBUTIONIBUS QUOTIDIANIS, EARUMQUE CONSTITUTIONE, AC LICITA PERCEPTIONE.

164. *In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, collectio omnium fructuum annuorum, appellatur Mensa communis.* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine distributionum quotidianarum: et unde sint deducendæ: et cur? Resp. I. Prænotandum est, quod in ecclesiis tum cathedralibus, tum collegiatis, collectio omnium fructuum annuatim toti capitulo obvenientium, appelletur *Mensa communis*: ut est textus in c. *Cum M. Ferrariensis*. 9. *de Constitut.* Et hujusmodi mensa communis complectitur universos fructus totius capituli, postmodum dividendos in singulos canonicos, aliosque ejus officiales, prout cujusque merita seu labores deposcunt. Deinde inter ipsosmet fructus, canonicis pro rata dividendos, est differentia: nam alii vocantur fructus annui, seu grossi: alii vero, distributiones quotidianæ. Et quidem.

165. *Fructus annui, seu grossi, qui? Vocantur etiam Fructus præbendæ: vel absolute Præbendæ.* — Fructus annui, seu grossi, sunt illi, qui dantur propter annuam residentiam in loco canonicatûs. Atque isti non raro dicuntur *Fructus præbendæ*: vel absolute, *Præbendæ*: ut cit. c. *Cum M. Ferrariensis*. *de Constitut.* ibi: « Antiquis canonicis præbendas, cum integritate percipientibus. » Et c. *Dilectus* 19. *de Præbend.* ibi: « Idem fructus præbendæ percipere non deberet: » cum si-

milibus. Et hujusmodi redditus annuos, seu fructus grossos, sive præbendam lucrari etiam ab illis canonicis, qui ex legitima, et a superiore approbata causa absunt a loco beneficii, certum est, atque hactenus in pluribus jam casibus declaratum: censentur enim esse residentes fictione juris, licet vere ac realiter non resident, juxta dicta superius § 1. n. 7.

166. *Distributiones quotidianæ, seu præsentia, quæ? Dicuntur etiam Victualia, et Manualia beneficia.* — Distributiones quotidianæ, seu (ut vulgo appellantur) præsentia, dicuntur illi fructus canonicales, qui propter singulas præsentias in choro, sive divino servitio, dantur canonicis interessentibus, seu vere, et actualiter præsentibus. Et hæc in c. *De cætero* 7. h. t. alio nomine vocantur *Victualia*, illis verbis: « Nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. » Imo in cap. un. h. t. in 6. etiam dicuntur *Manualia beneficia, seu Victualia*. Atque de istis in præsentibus Paragrapho specialiter est sermo: unde.

167. *Hæc vel sunt constitutæ ab antiquo per pias fundationes, vel debent constitui deducendo tertiam partem fructuum mensæ capitularis.* — Resp. II. Distributiones quotidianæ in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, vel jam sunt constitutæ ab antiquo per speciales pias fundationes: vel si in eisdem non adsint, aut nimium tenues existant, pro eisdem constituendis tertia pars fructuum mensæ capitularis deduci debet. Ita novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 21. cap. III. *de Reform.* illis verbis: « Statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatum, personatum, portionum, et officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, et cæteros divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab episcopo, etiam tantquam apostolica Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur: Salvis tamen, » etc. Hæc ibi.

168. *Et hoc posterius declaratur.* — Ex quibus sacri concilii verbis inter cætera patet, quod illa tertia pars fructuum in distributiones convertenda, non possit deduci, nisi ex canonicatibus, et aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata ecclesia existentibus aut

ipsis unitis: neque extra ecclesiam cathedrallem, aut collegiatam, hoc decretum habere locum. Prout a sacra congregatione concilii fuisse declaratum, refert Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. num. 473 et 474. ac seqq. apud quem plura de hoc.

169. *Distributiones quotidianæ principaliter institutæ sunt ad promovendum cultum divinum.* — Resp. III. Distributiones ejusmodi quotidianæ principaliter in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis institutæ, atque decretæ fuerunt ad promovendam cultum divinum: sive, ut clerici eo libentius, atque studiosus, intersint officiis divinis, si præsentem accipiant aliqualem remunerationem, eadem cæteroquin carituri. Textus est in concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. III. *de Reform.* ubi a principio, et pro ratione motiva, seu finali, detrahendæ tertiæ partis fructuum, ut supra, præmittitur sequens « Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta: ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum in rebus omnibus obsequium præstetur: statuit sancta synodus, » etc. præcipiens, ut supra. n. 167. tertiam partem fructuum pro distributionibus quotidianis separandam esse.

170. *Aliud est Residere in loco beneficii: aliud Interesse divinis.* — Unde sciendum, quod aliud sit. « Residere in loco Beneficii: » et aliud, « Interesse divinis officiis. » Nam *Residere* censetur ille clericus, qui in loco beneficii, debito tempore commoratur, etiamsi ad modicum absit: puta canonicus ad duos vel tres menses. *Interesse* vero divinis solummodo dicitur ille, qui obtinens beneficium ipsis officiis divinis celebrandis actualiter præsens est (sive interest) et ministerium eorum celebrationi, ac altari exhibet. Glossa in cap. un. §. *Ad fuerit*. h. t. in 6. Covarruvias lib. III. *Var. resol.* cap. XIII. n. 3. et alii. Atque istis interessentibus duntaxat debentur distributiones quotidianæ, ut hac ratione magis excitentur canonici ad interessendum officiis divinis spe alicujus præsentis remunerationis, qua cæteroquin carere cogentur; sicque cultus divinus promoveatur.

171. *Simoniacum non est, dare distributiones quotidianas iis, qui intersunt officiis divinis, et cur?* — Neque ex dictis quis perperam inferat, istud esse simoniacum, dum distributiones quotidianæ, quæ sunt quid temporale, dantur pro actuali exercitio cultus divini, sive ministerio mere spirituali. Resp. enim ejusmodi distributiones non dari pro ministe-

riis spiritualibus, ut pretium ex pacto; sed ut temporale stipendium pro honesta clerici in ecclesiastico servitio occupati sustentatione, juxta illud Salvatoris, *Matth.* cap. x, 10. *Dignus est operarius cibo suo*, cum concordantiis. Simile quid contingit in celebratione Missarum pro consueto stipendio: imo et in fructibus grossis præbendarum: nam etiam hi non dantur nisi canonicis residentibus cum effectu, seu ecclesiastica ministeria personaliter exequentibus. Quanquam Glossa magna, cap. un. h. t. in 6. circa fin. notet, peccare canonicum graviter, et simoniam mentalem committere, quando ad Horam canonicam vadit principaliter propter denarium, sive distributionem, arg. c. *Tua nos*, 34, et cap. ult. *de Simonia*. Ubi tamen ponderandum ly, « principaliter propter denarium. »

172. *Regula est, quod distributiones solum debeantur presentibus, et interessentibus, non obstante quocunque statuto, vel consuetudine: et aliter eas recipiens, rerum sic receptorum dominium non acquirit, etc. Refertur quoad hoc textus.* cap. un. h. t. in 6. et concilii Tridentini. — Queritur II. Quinam canonici valide ac licite, percipere possint presentias, seu distributiones quotidianas? Resp. I. Regula est, quod distributiones quotidianæ solum presentibus, seu Divinis officiis interessentibus, dari debeant, non obstante quocunque statuto, aut consuetudine: et qui aliter illas receperint (exceptis casibus in jure concessis) rerum sic receptorum dominium non acquirant, imo ad eorum omnium restitutionem teneantur. Ita communis; estque per Bonifacium VIII. cap. un. h. t. in 6. expresse decretum illis verbis: « Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit (recipiendi videlicet distributiones quotidianas in absentia) penitus improbandas: Statuimus, ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, canonicis, ac aliis beneficiatis et clericis ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta ecclesie cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationalis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesie utilitas excusaret) rerum sic receptorum dominium non acquirat, nec faciat eas suas: imo ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur. » Atque hanc constitutionem Bonifacianam concilium

Tridentinum, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* innovavit, et confirmavit, sequentibus verbis: « Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis collusionem, aut remissione exclusa his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, *Consuetudinem*: quod sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis, et consuetudinibus. » Hactenus Concilium: unde.

173. *Consuetudo percipiendi distributiones in absentia non valet, sive introducta fuerit ante constitutionem Bonifacianam, sive post.* — Resp. II. Adeo data conclusio procedit, ut consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia non valeat, sive introducta fuerit ante relatam constitutionem Bonifacianam, sive post. Ita Covarruvias, lib. III. *Variar. resol.* cap. XIII. n. 2. et seqq.; Barbosa, cap. un. n. 4. h. t. in 6; Pirhing h. t. n. 83; Fagnanus c. *Licet*, n. 77 et 79. *de Præbend.* asserens sacram congregationem sæpius respondisse, quod citato decreto concilii Tridentini, sess. 24. cap. XII. etiam immemorialis consuetudo sublata fuerit. Ratio est; quia constitutio Bonifacii VIII. cap. un. h. t. in 6. non solum simpliciter derogat consuetudini recipiendi distributiones in absentia: sed etiam ipsi resistit, eamque reprobat ut iniquam, et irrationabilem: prout liquet ex illis verbis: « Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit, etc., penitus improbandas. » Atque, ubi jus resistit consuetudini, eamque penitus improbat, nempe ut irrationabilem, et iniquam, censetur sublata consuetudo non tantum præterita, verum et futura, imo et immemorialis, c. *Cum venerabilis*, 7. et cap. ult. *de Consuetud.* estque jam dictum supra lib. I. tit. IV. *De Consuetudine*. § 2. n. 35. 37 et 45.

174. *Etiam si speciali cujuspiam Ecclesie statuto confirmata sit.* — Ampliatur conclusio, ut non valeat consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia, etiam si speciali cujuspiam Ecclesie statuto confirmata sit. Hujusmodi enim statuta expresse sublata sunt per concilium Tridentinum, cit. sess. 24. cap. XII. *de Reform.* ibi: « Non obstantibus quibuscunque statutis. » Accedit, quod capitulum nequeat condere statuta juri communi contraria: atque statutum percipiendi distributiones in absentia, est contrarium juri communi; puta, cap. un. h. t. in 6. et concilio Tridentino, loc. cit. ergo. Major patet ex eo, quia inferior nequit

tollere legem superioris, can. *Inferior*, dist. 21. et Clem. *Ne Romani*. § 1. *de Election.* estque ex professo dictum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 4. n. 85. et seqq.

175. *Canonici non gaudent distributionibus, dum duobus, aut tribus mensibus a concilio permissis absunt.* — Ampliatur ulterius, ut distributionibus quotidianis non gaudeant canonici, dum duobus, aut tribus mensibus, a concilio Tridentino permissis, absunt. Quia licet eo tempore censeantur residere, utpote brevi reversuri; ac proinde possint percipere præbendam, sive fructus grossos: non tamen pro tunc intelliguntur interesse divinis officiis, sicut non gaudent distributionibus; cum casus iste non sit exceptus in allegata constitutione Bonifacii VIII. confirmata per concilium Tridentinum loc. cit. et concordant dicta superius n. 113.

176. *Quamvis interim inserviant per substitutum.* — Ampliatur rursus conclusio, ut procedat, etiam si canonici absentes inserviant per substitutum: quia nihilominus distributiones quotidianas percipere non possunt, neque valet contraria consuetudo. Fagnanus cit. c. *Licet*, n. 82. *de Præbend.* plures alias consimiles ampliaciones subjungens.

177. *Excipiuntur casus, in quibus de jure dubium est, an distributiones debeantur absentibus: tunc enim consuetudo easdem concedens, censetur valida.* — Fallit tamen data conclusio in illis casibus, in quibus de jure dubium est, an distributiones absentibus debeantur, necne. Tunc enim consuetudo easdem concedens, censetur esse valida; potestque juris ambiguitatem interpretari, et declarare: uti notat Covarruvias, l. III. *Var. resolut.* cap. XIII. n. 3. vers. Prima sane, citans Baldum inter *Consilia cardinal.* consil. 53; Decium c. *Cum omnes*, in 1. lect. col. 1. *de Constitut.* et alios; atque sequitur Fagnanus loc. cit. n. 134. circa fin. Accedit ratio, quia in tali casu nihil novum, aut juri communi aperte contrarium inducitur; sed solummodo casus, de jure dubius, longævo usu declaratur. Unde subintrat illud, quod l. *Si de interpretatione*, 36. ff. *de Legib.* habetur: « Si de interpretatione legis queratur, imprimis inspicendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpretatio consuetudo: » cum concordantiis.

178. *Sic valida est consuetudo, qua canonicis tempore pestis absentibus dantur distributiones.* — Sic, quia dubium esse potest,

utrum canonicis tempore pestis absentibus a loco beneficii, de jure debeantur distributiones quotidianæ (tale enim præsentaneum periculum mortis videtur justa causa abessendi, comprehensa sub rationabili corporali necessitate, de qua fit mentio cap. un. h. t. in 6.). Hinc sacra congregatio censuit quidem, canonicis, qui tempore pestis abfuerunt, non deberi distributiones: sed cum limitatione, nisi probaretur consuetudo legitima, quod distributiones hujusmodi darentur absentibus ex justa causa. Atque ita decisum fuisse, refert Garcias part. III. *De Beneficiis*, cap. II. n. 362. et Fagnanus cit. c. *Licet*, n. 95. *de Præbend.* atque post Franciscum a Ripa in tract. *de Peste*, part. II. n. 145. etiam tradit Covarruvias cit. cap. XIII. n. 8. vers. *Nono*. et Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 53, n. 170. citans alios.

179. *Similiter valida videtur consuetudo, ut canonicus ob negotia Ecclesie suæ absens, post reditum, vel ante discessum suum, per duos vel tres dies lucretur distributiones, etsi non intersit divinis.* — Deinde ex eadem ratione valida videtur consuetudo, ut canonicus ob negotia Ecclesie suæ absens (secus, si ob res suas privatas abfuisse) post suum reditum per duos, vel tres dies distributiones lucretur, etsi divinis officiis personaliter non intersit: quia taliter fessus ex itinere, adhuc censetur agere negotia Ecclesie suæ; simulque post graviolem itinerum defatigationem non nihil quiescendum esse, suadet rationalis necessitas corporalis, Pirhing, h. t. n. 84; Azorius, part. II. lib. VII. cap. VII. quæst. 5. vers. *Quæres secundo*, citans insuper Joan. Monachum in cap. un. h. t. in 6; Castro Palao, part. II. disp. 3. *de Oratione publica in choro*, punct. 9. § 12. n. 16. allegans alios; atque istud ampliatio ad canonicum profecturum in causa Ecclesie suæ, cui ex consuetudine pariter concedi possunt duo, vel tres dies, pro præparatione itineris, una cum distributionibus in absentia chori: nam, qui se ad viam præparat, censetur in illa jam esse, arg. l. *Qui mittuntur*, juncta Glossa ff. *Agere*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc. et l. *Legato*, ff. *de Legationib.*

180. *Quoad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valet remissio.* — Resp. III. Conclusio n. 172. data ulterius urget in tantum, ut quoad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valeat remissio, mediante qua sibi invicem canonici

punctaturas absentiarum, sive carentiam distributionum, remittere possint. Ita communis. Obstat enim huic remissioni tam juris communis dispositio, cit. cap. un. h. t. in 6. obligans receptores ad earum omnium restitutionem; quam concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. XII. *de Reform.* ibi: « Relinqui, quavis collusionem, aut remissione exclusam, his careant. »

181. *Et si secus fiat, debet episcopus eas in poenam fraudis, applicare fabricæ Ecclesiæ.* — Quinimo, si canonici hujusmodi distributiones sibi invicem remitterent, tunc episcopus deberet eas in poenam fraudis applicare fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco: prout a sacra congregatione responsum fuisse, testatur Fagnanus, ubi supra n. 91. Haud obstante, quod canonici interessentes divinis, postquam portiones non residentium perceperunt illas quibus placuerit dare valeant.

182. *Distributiones quotidianæ ordinariæ, amissæ per non interessentes, accrescunt clericis interessentibus.* — Quæritur III. Ad quos spectent distributiones quotidianæ, amissæ per canonicos non interessentes officiis divinis? Resp. I. Distributiones quotidianæ, ordinariæ et proprie sumptæ, amissæ per non interessentes divinis officiis, accrescunt cæteris clericis interessentibus. Ita Glossa in Clem. 2. *¶ Pars dimidia. de Ætat. et qualitat.* etc. istud inter alia probans ex cap. un. h. t. in 6. « Nisi (inquit) esset aliter ordinatum. » Et alia Glossa in Clem. 2. *¶ Suspendus. de Vita et honest. cleric.*; Covarruvias lib. III. *Var. resolut.* cap. XIII. n. 7; Navarrus, cap. XXV. *Manual.* n. 123; Barbosa, *de Canonis et dignitat.* cap. XXII. n. 14; Azorius, part. II. lib. VII. cap. VII. quæst. 8. et 9, Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 443. et 446. citans plurimos alios, ac Rotam in una Valentina emolumentorum, coram Illustr. Mantica, 14 maii 1593. Conclusio hæc fundatur in jure accrescendi: quia enim distributiones quotidianæ, et proprie dictæ, constituuntur dividendæ inter clericos præsentem, tanquam in mercedem et honorarium majoris diligentiam: ac novissime decrevit concilium Tridentinum sess. 21. cap. III. *de Reform.* Hoc ipso, quod isti præsentem non eveniant alios, qui secum concurrant, soli utantur distributionibus in totum: prout in simili decisum habetur l. I § fin. ff. *de Usufruct. accrescend.* et § *Si eadem res. Instit. de Legatis.* Concordat Declaratio secunda sacre congregationis concilii, relata per Garciam

loc. cit. n. 465 asserens, quod portiones absentium accrescunt deservientibus, si ex decreto concilii sess. 21. cap. III. separatæ sunt: secus vero, si ex Decreto capit. III. sess. 22. tunc enim fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco arbitrio ordinarii applicabuntur.

183. *Secus, quando pro distributionibus datur certa quantitas.* — Additur notanter in conclusione, « Distributiones quotidianæ ordinariæ, et proprie dictæ. Quales censentur esse, si certa quantitas, seu portio earum non est assignata singulis; sed omnibus ita relinquuntur, ut inter solos præsentem, ac divinis officiis interessentes, dividi debeant: tunc enim distributiones per absentes amissæ, jure accrescendi debentur cæteris. Secus dicendum, quando pro distributionibus quotidianis certa quantitas, v. g. thalerus, aut determinata portio panis vel vini, assignata est: quia in hoc casu datur quidem cuilibet divinis officiis interessenti, sua determinata portio panis, v. g. aut vini, vel pecuniæ; absentium vero portio non dividitur inter præsentem, sed pertinet ad Ecclesiam, atque in ejus utilitatem convertitur, vel remanet in mensa communi. Cessat quippe in tali casu quævis conjunctio inter canonicos absentes et interessentes, sicque etiam cessat jus accrescendi: nam interessentibus debetur solum sua portio determinata, absentibus vero nihil. Garcias cit. part. III. cap. II. n. 443. et 444. ac seqq. allegans multiplicem declarationem sacre congregationis concilii. Barbosa, d. cap. XXII. n. 16; Pirhing, h. t. num. 101.

184. *Concordatur decretum concilii Tridentini, sess. 22, cap. III. de Reform. cum alio ejusdem decreto, sess. 21, cap. I. de Reform.* — Dices. Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. III. *de Reform.* expresse decrevit, ut distributiones propter intermissum debitum personale servitium amissæ, « fabricæ Ecclesiæ, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarii applicentur: » ergo hæc non accrescunt aliis clericis præsentibus. Resp. Licet in concordando isto decreto concilii Tridentini, cum alio ejusdem concilii decreto, quo sess. 21. cap. III. *de Reform.*, distributiones quotidianæ jubentur inter divinis interessentes proportionaliter dividi, non nihil variant doctores; ut videre est apud Barbosam cap. XXII. *de Canonic. et dignitat.* n. 14. ac seqq.; Navarrus, *Miscell.* 59. *de Oration.* n. 9, Garcias, d. part. III. cap. II.

n. 459. 460 et seqq. Cæteris tamen opinionibus dimissis, et conformiter diversis declarationibus sacre congregationis concilii, per eundem Garciam loc. cit. n. 465. relatis, videtur dicendum, quod concilium d. sess. 21. cap. III. *de Reform.* loquatur de distributionibus ordinariis, ac proprie dictis, quæ usque ad tertiam partem fructuum a canonicatibus, et portionibus, de necessitate detrahi debent, ubi nullæ, vel nimis tenues reperiuntur distributiones quotidianæ, prout ibidem præcipitur: tales enim distributiones, quæ amittuntur per absentes accrescunt præsentibus, cum sint constitutæ de communibus fructibus pro servitiis communiter obsequendis ab omnibus. At vero sess. 22. capit. III. *de Reform.* idem concilium Tridentinum loquitur de distributionibus quotidianis extraordinariis, ac impropriis, quæ nimirum per episcopum usque ad tertiam partem deductæ fuerunt ex particularibus dignitatibus, personatibus et officiis, etiam non ex necessitate, sed in odium absentium: nimirum, ut ejusmodi dignitates, personatus, vel officia obtinentes, si debite divinis officiis non interessent, nec personaliter competens sibi servitium præstarent, per earum amissionem singulis vicibus punirentur. Et quia hæc distributiones non de fructibus communibus, ut priores; sed de redditibus particularibus dignitatum, personatum, vel officiorum constituuntur, lucrificandæ ab illis solis, qui eas dignitates, personatus vel officia obtinent, ac servitium sibi competens personaliter præstant; alias vero per eos amittendæ. Hinc cessat ratio, cur hæc cæteris clericis interessentibus accrescant, eo quod non sint detractæ de communibus fructibus: ac proinde, si per negligentem absentiam amittantur, merito vel fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio episcopi applicari debent. His adde declarationem sacre Congregationis concilii n. 182. in fin. relatum.

## § VII.

DE CASIBUS, IN QUIBUS CANONICI ABSENTES  
LUCRANTUR DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAS.

85. *Generatim loquendo, ut canonici absentes lucrarentur distributiones, requiritur justa causa absentia, et licentia ordinarii, seu prælati.* — Quæritur I. Utrum aliquando, et præsertim ratione infirmitatis, canonici a choro absentes lucrarentur distributiones quo-

tidianas? Resp. I. Generatim loquendo, ut canonici absentes a personali servitio suæ ecclesiæ lucrarentur fructus, et distributiones quotidianas, duo copulative requiruntur; videlicet, justa causa absentia, et licentia ordinarii, seu prælati. Ita Glossa c. *Relatum. ¶ Prælatorum.* et Abbas ibid. n. 1. h. t. et notat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 153. allegans Rotam in una Lecensi fructuum, 21 april. 1603. coram card. Pamphilio; Angelus in *Summa ¶ Clericus.* 7. n. 3; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 10. et alii.

186. *Dantur nonnulli casus, in quibus canonici sic absentes lucrantur distributiones quotidianas.* — Resp. II. Dantur nonnulli casus, in quibus canonici ex juxta causa, ac de licentia ordinarii, seu prælati absentes, licite recipiant, atque lucrantur distributiones quotidianas. Ita communis omnium; atque patebit inductione, enumerando hujusmodi casus. Et quidem spectato jure communi, seu constitutione Bonifacii VIII. relata cap. un. h. t. in 6. et innovata per concilium Tridentinum sess. 24. cap. XII. *de Reform.* excipiuntur tres principales casus, in quibus canonici absentes fruuntur distributionibus quotidianis; nempe illi, « quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret. » Hæc ibi. Et quidem loquendo de istis casibus singulatim.

187. *Sic accidit ratione infirmitatis; et cur?* — Resp. III. Ratione infirmitatis debentur absentibus distributiones quotidianæ, quando infirmitas est talis, quæ a celebratione divinatorum officiorum excusat, arg. c. *Significatum.* 11. *de Præbend.* ac notat Glossa cit. cap. un. *¶ Infirmitas.* h. t. n. 6. Quia enim afflicto non est addenda afflictio, c. *Ex part. 3, de Clerico ægrot.* Et alioquin, si ob supervenientem ægritudinem clerici destituerentur victualibus, seu distributionibus quotidianis, ob hujus timorem forte non posset, qui militaret ecclesiæ, reperiri, cap. I. cod. Hinc merito infirmitas excusat canonicos ab interessentia divinatorum officiorum, absque amissione distributionum quotidianarum.

188. *Adeo, ut tempus infirmitatis non sit computandum pro tempore vacationum, seu trium mensium. Et quid, si canonicus, dum abest in tribus mensibus, infirmetur?* — Et hoc adeo procedit, ut tempus, quo canonicus fuit infirmus, non sit computandum pro tempore vacationum (hoc est, duorum aut trium